



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Evstasivs Abb. 29. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

esse juberet. Ita ab officio dejectus omnibusque exutus in exilium nihil præter innocentiam extulit fidemque DEO servatam. Iam ARMOGASTVS cum nervis tibiarum & frons torquerentur, nervo altero hos & fortiori (cruce) non semel rupit. E pedibus suspensus dormire poterat videri. Ad sabulum eruendum damnatus virum in arenam se præstitit. Bubus pascendis præfectus dignum hunc Martyre magistratum censuit esse. Mortuus quoque tumulari, tamen non nisi sub arbore voluit. Sed egesta sub hac humus sarcophagum è marmore ostendit tam splendidum magnificentumque, ut invidere tumulum pastori Reges potuerint. *Ex Vict. Viicen.*

*Si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in æternum fieri mendicus quis durabit? Cur ergo Christianus, cui militare est id quod vivit sæculo, non cogitat, ut pericula terrena otis celestibus consoletur? S. Pet. Chryf. ferm. 54.*

## S. EVSTASIVS ABB. 29. Martij.

**C**olumbani discipulus fuit EVSTASIVS, ejusque in Luxoviensis Cœnobii præfecturam successor. Pœnitentium dolori ita semper condoluit, ut prior ipse lacrimas daret, imò suis illorum prolliceret lacrimas, optimam semper peccantibus medicinam. Et si igitur lacrimis oculos suos corrumpere videretur, geminis tamen virginibus restituit amissos. Has inter Burgundophora fuit Chagnerici viri nobilis filia, & Deo jam olim desponsa; quæ cum postea, parente auctore, hominis thalamum cogitaret, vindicavit febris cogitarum adulterium, & ut patri dolerent oculi, filiam suam eripuit. At EVSTASIVS primò patrem facinus suum videre,



videre, tum filiam etiam diem fecit. jam inter eos, qui principes facem Christianæ legis in Boicam intulerunt, numeres EYSTASIVM licet. Et tulit ille operæ pretium suæ, non item Agrestinus, homo temerarius ac vaser, nihilque monachi præter nomen vestemque præ se ferens. Hic malus in eum diem discipulus, religionis tamen magisterium affectavit, & cum minus ex sententiâ cederet, institit magistrum EYSTASIVM totumque Columbanæ gregem calumniis petere, eamque in rem socios cogere. Sed ex his aliis lupus, aliis fulmen, morbus aliis, ipsi Agrestino silentium securis imposuit à servulo impacta; cum eum non multò antè accusatorem expertus EYSTASIVS, ad divinum tribunal vocasset. Securus hic paulò post, prævisâ (quò minus timeret) morte, rectius accusaturus Magister discipulum ingratum. *Ex Surio.*

*O si velimus omnem mentis nostræ paralyfin per- videre, animam nostram virtutibus destitutam jacere in vitiorum stratis videremus: luceret nobis quemadmodum Christus & nostras quotidie maximas respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit & perurget invitos. S. Pet. Chryl. serm. 50.*

## S. MECHTILDIS V. 29. Martij.

**C**eras alii avitas in MECHTILDE easque Principum & Imperatorum numerant; at nos virtutes, quas si non omnes enumerare poterimus, aliquas certè advocabimus. Et primò quidè, quod ferè amat in illustribus puellis fieri, in cunis desponsa videtur, sed nimirum Christo. Certè quinto ætatis anno è parentis in DEI abiit Parthenonem, qui Dieflæ tunc fuit. Ab hominis thalamo quàm abhorrucrit, inde æstimes, quòd omni lecto abstinuerit,